

I

**GLORIOSISSIMO**  
**ET TRIUMPHANTISSIMO PRIN-**  
**CIPi, DOMINO FRIDERICO ROMANO-**  
**RVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO, VN-**  
**GARIÆ, DALMATIÆ ET CROACIÆ REGI, AVSTRIÆ, STI-**  
**RIÆ ET CARINTHIÆ POTENTISSIMO DVCI, & C. SACRÆ**  
**suæ Maiestatis subiectissimus PETRVS DE ANDLO, Alsatiaë oppido,**  
**agnomen trahens, Columbariensis Ecclesiæ Canonicus, inter De-**  
**cretorum Doctores minimus, amplissimorum regnorum**  
**& ducatum felicitis semper prosperitatis**  
**augmentum.**



**R**OMANI PROGRESSVM IMPE-  
rii, ingentemq; loci & urbis gloriam, Princeps orbis  
sacratissime, magni excellentesq; ingenio viri dictis  
scriptisq; magnopere celebrarunt. Germanorum  
verò, ad quos splendor migravit Imperii, vel excel-  
lentiam meritorum, vel rerum gestarum gloriam  
quibus Casaream meruere monarchiam, tum quoq;  
maximè ea, que vel latissimis Iuris utriusq; Codicibus, vel veterum pa-  
trum historijs de Imperiali celsitudinis maiestate sparsim leguntur diffu-  
sa, pauci admodum stylo complexi sunt. At nuper mihi in Bibliotheca  
mea paulisper otiosius residenti, multa quoq; & præclara de diuinarum  
& humanarum rerum scientia literis pertractanti, Teutonicum non im-  
merito visum est decere laborem, illa ceu ex varijs floribus in vnum com-  
pingere opus: quo multis morem gererem, qui horum forsitan noticiam  
non haberent. Vnde ad sacri decus Imperii, honoremq; venerabilis &  
clare nobilitatis viri, domini Georgij de Andlo Basiliensis ac Lutemba-  
sensis ecclesiarum præpositi, mihi inter mortales colendissimi domini, ma-  
num promptam papyro adieci. Illius nempe amplam & vetustissimam  
familiam pro necessitudine stirpis hanc paginam pro aliquanta etiam por-  
tione attinere existimaui: cum in ordine septem graduum nobilitatis, &  
basium quibus Romana fundatur potentia, & sua prosapia inter quatuor

Vide lib. 2  
cap. 12